







II




AD

SERENISSIMVM PRINCIPEM

LEOPOLDVM MEDICÆVM


DE

MACHINA MOMMORIANA



CARMEN.

QVÆ nova ſidereæ ſpeculandis ignibus æthræ,
Per ſudum, celsâ MOMMORI *ingentis ab aulâ*
Se ſe offert, tenditque tuos ornare penates,
Magnanime ô Princeps, præſtanti Machina dono,
Quiſve tibi talem miros tranſmiſit in uſus?
Vnde Galilæo ſi fortè immittere vitro
Lumen ames, ſuperi contemplaturus Olympi
Lucida ſigna; quibus ſe ſtellis Luna coronet



Qui rubeant, & quo ferales igne Cometæ,
Nil longum gravis aura tubum convellere possit:
At premere hunc valeas quoties quantumque libebit,
Rursus & erigere, & cunctas obvertere vasti
Ætheris in partes: quod opus insigne novumque,
Dum lætis ingrata fori post tædia, sese
Musarum studiis & amœno carmine mulcet,
Repperit, atque sui monimentum & pignus amoris
Donat habere tibi MOMMORIUS. *Illius ampla*
Atria magnanimûm spirantibus undique signis
Præfulgent, tabulisque Virûm: notissima Musis
Atria, quò doctum concursu tendere magno
Aspiceres tota urbe gregem, eximiósque Poëtas
Quemque sibi summis quæsitum oracula rebus:
Illum autem placidis assantem vocibus omnes,
Ipsáque reddentem, quæ maximus antè solebat
Gassendus responsa, è tanti Herois amico
Hospitio, longos ubi non inglorius annos
Exegit, lætâ tum demum ubi morte quievit,
Ac nimiùm cari minùs ut grave funus alumni
Pierides quererentur, ubi doctissima liquit
Scripta sui populos subitò vulgata per omnes
Hospitis & cura ,. & versu insignita perenni.
Ergo illi è superâ meritis pro talibus arce
Ipse memor Gassendus & abdita nunc quoque rerum

Explicat, & toto penitùs se pectore miscet. [BERTI
Summe igitur LEOPOLDE, *tui ne munus* HA-
Despice. Tale nihil meditando protulit ingens
Ille opifex, qui, cùm Mortales mille decoris
Artibus auxisset, quarum indiget usus, egenos,
Mox patrii ex longo flagrans ad læta redire
Regna soli, terras dum sævus & æquora Minos
Obstrueret latè, vacuum quoque posse per æthera
Exilii reperire fugam confidit, & unà
Ibimus hac, ait, alme puer, cœlúmque patere
Sufficiat: neque enim cœli aurarumque potentem
Quicumque est, Minoa reor. gratare parenti,
Ibimus hac. simul immensi spatia invia olympi,
Has inter voces, alacri monstrabat alumno.
Tum rapidus, quas fortè manu detraxerat, ipsi
Vel Iovis armigeræ, vel qui speculatus ab alto
Imbelles in aves prædo ruit æthere Vultur,
Accipiterve rapax, lino, cerâque tenaci
Inter se miro nectit discrimine pennas.
Longa brevem sequitur; tenues serit ordine plumas:
Sed densas magis unde humero ex utroque pependit
Remigium, quod jam ut rapidis incumberet auris
Molliùs, & veros avium simularet amictus,
Dextrâ habili curvat: confectum opus inde, dolente
Naturâ superari, animi lætissimus heros

Ipſe ſuis natique humeris pernicibus addit.
Reſtabat labor alter & altera cura parenti,
Et premere & laxas ventis dare diſcere pennas
Et puero monſtrare, (avidus ſpectabat ut illum
Diſcendi puer) ergo in cœlum tollere molli
Se primùm plauſu, mox libera pandere ventis
Brachia, Reginâ *non ſegniùs alite, quondam*
Inſtituente rudes humeris quatere aëra pullos,
Ignarum genitor docet, ante-volatque docendo;
Præque monet Solis rapidos vitaret ut ignes:
Vitaret maris uda: mari gravis ala volantem
Ne tardet, nimius criniti Hyperionis ardor
Ceratum neu ſolvat opus: medium uſque tenere
Diſce iter, & nuſquam nos deſere, ſic ait, & ſe
Tollit humo, comitique leves proludit ad auras.
Felix! ni vanis jactantior Icarus alis
Irrita mox ventis mandata paterna dediſſet
Securus fatorum, & ad ignea ſidera cœli
Affectare viam inſano cœpiſſet amore:
Ni patris, & miſeras liquidum per inane vocantis
Se fruſtra, ſummo revolutus ab æthere, voces
Audiſſet, ſimul & pennas, unáque ruentem
Dædalus æquoreas natum aſpexiſſet in undas,
Icareo decus unde mari. Sed Muſa per amplos
Exſpatiata nimis longo jam carmine campos

Ad

Ad tua cœpta redi: tuque ô ſine, maxime Princeps,
Machina vt hæc ſublimè tuas conſcendat in ædes
Machina, Dædaleis nil deceſſura repertis.
Hinc MEDICÆA *(alio quid enim cognomine dicam*
Sidereas cæli facies, tot luce tuorum
Fulgentes meliùs patrum) ſpeculaberis aſtra
Tutâ è ſede, domoſque tibi ſignabis habendas
Semideos inter proavos; quibus Arnus amœnæ
Flumine formoſo perlabens mœnia Floræ
Paruit, ingentes ingens & Etruria quorum
Iam pridem docili cervice accepit habenas:
Ac centum partis terrâ pelagoque triumphis,
Se quorum ſummo majeſtas æquat olympo.
Dum veſtra de gente alios Heroas, honeſtum
Ter caput ardenti lætos redimire coronâ
Ipſe pater prono Tiberinus flumine, & ingens
Orbis adoraret, ſuperûm vt decora æmula Divûm,
Et Vaticanâ horrendum de rupe tonantes
Quos tremerent vivis regna execrata Silentum.
Quorum præſidio priſcum reparata reſumſit
Relligio decus ipſa; animis vigor additus, ut cùm
Sol almo reſides aſpectat lumine campos:
Aoniæ è longo Auſoniam rediêre Sorores
Exilio, rediêre Artes; Vida maximus alto
Extulit os lætum cœlo, MEDICÛM*que ſuperbos*

Virgilii cecinit lituo graviore triumphos.
Quos te adeo egregios factis ingentibus omnes
Uno in fratre, patrum soliique animique tuorum
Præclaro hærede, primis miramur ab annis
Intentum spectare, & longè anteire tuendo:
Miramur juncti cognato sanguine Regis
Magna per exempla, immensus quæ suspicit Orbis,
Ire viam sublimem, & in ardua tendere pennis
Sidera figentem paribus vestigia curis.
Sive Deûm ætheriâ Francis Rex missus ab aulâ
Ille bonas animo Paces, seu sæva volutat
Bella quibus, puer ipse, feros & contudit hostes:
Mox juvenis centum penetravit in oppida victor:
Nec longùm patiens Italas impune per urbes
Ipsum equitare animis horrendum & corpore Thracem,
Relligionis opum vindex, invasit, & uno
Congressu magnum Arabonis delevit ad amnem;
Turbidi adhuc spißique cruentis undique rivis,
Et rimantis adhuc, per densa cadavera frustra,
Quà sese haud capiens exolvere possit in æquor:
Sive animi miserans, tot doctæ incommoda gentis
Ille idem Superûm justi LODOICUS amores,
Pacatumque suo qui numine, solus & Orbem
Temperet, egregias donis quoque promovet Artes,
Largaque selectis effundere munera gaudet,

Quique Tagum, Tiberimq; bibunt Rhodanumq; Poëtis.
Quosque sub obscuris Thule tegit ultima silvis.
Tusci Equitis, Tuscæ lux ô clarissima terræ,
Vincis & ingentes doctâ pro Pallade curas,
Nobilium & potior Vatum te cura remordet;
Dumque tot, invicti regno pro sospite fratris,
Te quicquam cessare sinunt, LEOPOLDE, labores,
Continuóque ineant lecti tua tecta sodales;
Primus & hîc, novus unde Italæ nitor, & nova lin-[guæ
Gratia succedat, doceas, animòque sagaci
Scrutando referes Naturæ arcana parentis,
Ingentémque feras tibi lætior undique plausum.
Ac veluti, latis portantes lumina terris
Phœbus ubi noto requievit gurgite currus,
Parnassum repetit, per amœnáque prata nitentes
Castalidum ipse choros amat exercere Sororum:
Inter & has, liquidâ vel rerum exordia voce
Prima canit, longumve tibi, pater alme Deorum,
Dividit auratâ resonans testudine carmen.
Quin etiam, quicumque tuæ successerit urbi,
Francus Iberve fuat, nullo discrimine, si quo
Munere præniteat, laqueata palatia pandis,
Et discedentem donis insignibus ornas.
O mea cùm LEOPOLDE, tuas perducet ad arces
Carmina Fors, ea si placido quoque legeris ore

Quos mihi quos animos tanto de munere sumam!
Quámque alacer, per regna tui pulcherrima fratris;
Romanas tendam, tanto mox auspice, sedes,
Pertentaturus, si quis mihi, si quis & illic
Audeat ingenti lituo, fidibusve canoris
Decertare, tuum decus ad supera alta ferendo.
Interea, felix ades ô, magnúmque propinques
Augurium, mihi quod cecinit non vanus Apollo.
Spero equidem, quem læta suo dat Gallia Vati,
Et responsuros, septeno è vertice, magnæ,
Si faveas, plausum colles & flumina Romæ;
Omina nec fallunt mea me, argutosque videre
Iam videor Tiberis mihi longè assurgere Cygnos,
Attonitis inhiare animis: & cedere porro
Tot tua magna novo celebranti carmine facta.

CAROLVS DV PERIER.

12



